



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita  
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi  
Concionatoribus vsui esse poßit

**Suárez, Francisco**

**Moguntiaë, M.DC.XVI.**

2 V. Christi corpus resurrexit integrum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

species, fieri potest, vt figura, & forma faciei aliter appareat, quam in se sit. Quia ergo (vt dictum est in solut. ad 2.) impressio specierum erat in libera potestate Christi, ideo etiam modus immutandi visum, erat in eiusdem potestate. Hoc igitur modo apparuit in alia effigie, non quam in se suscepit, sed quam in aliorum oculis formata est. Et hoc est, quod Lucas dixit. *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Quia nimirum non erant eis impressae species, quibus illum possent agnoscere.

*Christus post resurrectionem in alia effigie apparuit discipulis apparenti quomodo. In. 24.*

*Caietan.*

Et eodem modo dicitur infra, apertos fuisse oculos horum discipulorum, vt Christum agnoscerent. Nam licet, de internis oculis vtrumque exponatur a Caietano in Lucam (qui existimat in externis nullam immutationem fuisse factam, qua possit Christus occultari: sed per quandam interiorem ecstasim, & quasi abstractionem phantasiae fuisse impeditos hos discipulos, ne Christum agnoscerent, & hoc impedimentum postea esse sublatum: cui ex parte fauet August. lib. 11. Gene. ad literam capit. 31. nihilominus facilius, & rectius intelligitur de oculis externis. Illi enim prius tenebantur, ne illum agnoscerent, non propter interiorem ecstasim (vt fingit Caietanus) sed ob diuersam effigiem, quam formabat, vt ex Euangel. Marci colligitur. Idem ergo postea aperti sunt, non materialiter (quia non erant antea clausi) sed (vt ita dicam) efficienter, quia illis datae sunt species representantes propriam figuram, & faciem Christi. Et ita exposuit de externis oculis D. Thoma. infra q. 55. art. 4. ad 3. Vbi tamen sequi videtur secundam expositionem Aug. supra traditam. Sed (vt existimo) non intelligit, humorem aliquem fuisse impressum oculis discipulorum: sed absolute fuisse in illis aliquem defectum, propter quem Christum non agnoscebat, qualis prouenire solet ex caligine, vel humore in oculo existente. Nam sicut ex dispositione materiali oculi oritur interdum talis impressio speciei, quae in causa est, vt res non agnoscat: ita potuit hic fieri non ob materialem dispositionem, seu ob virtutem causae agentis. Ita videtur D. Thomas exponere Augustinum. Vereor tamen, ne sit praeter mentem eius, cum dicat impedimentum hoc fuisse a Daeomone immissum, quod tamen D. Th. in citato loco consulto tacuit. Quamquam cum Aug. etiam dicat, Christum solum permisisse, vt oculi horum discipulorum tenerentur, ne eum agnoscerent, quod intelligo quantum ad deceptionem, & errorem illorum. Christus enim non fuit directa causa illius erroris, sed solum speciem, quam sensibus impressit, in quibus non est proprie deceptio, sed simplex apprehensio vnius rei, vel alterius.

Et hinc etiam facile intelligitur, quomodo non fuerit Christus ex voce cognitus ab ijs, alijsve discipulis, quando occultari voluit. Quia multo facilius est immutare vocis sonum, & modum exprimenti, ac pronuntiandi. Quod etiam sine miraculo fieri potuit aliter mouendo linguam, & labia, & aerem aliter percutiendo. Addo denique, vestium varietatem etiam posse conferre ad se occultandum, & vt effigies diuersa appareat. Est autem verisimile Christum, cum apparuit sub specie hortulani, vel peregrini, vestibus accommodatis indutum fuisse, quod aperte docet Iustinus Martyr. qu. 116. ad Orthodoxos. Nam licet hoc (inquit) expressim scriptum non sit: tamen ex ijs, quae scripta sunt, colligitur. Dicit autem Christum eas vestes confecisse de nouo sua potentia, vel aliunde sumpsisse. Quid si quis contendat cum Abulense paradox. 5. capit. 24. & sequentibus, eas non fuisse veras vestes: fateor quidem, ita fieri potuisse. Quia sicut Angelus assumit corpus, quod non est verum quale apparet: ita corpus Christi potuit assumere vestes non veras, sed apparentes. Nec facile probari potest alterutrum: nec ad rem, de qua agimus, refert. Quia quantum ad effectum se occultandi,

*In. Mart. Vestes Christi post resurrectionem quales. Abulens.*

A perinde sunt vestes apparentes, ac verae, si eandem formam ac figuram referant.

ARTICVLVS II.

Virum Christi corpus resurrexit integrum.



D secundum sic proceditur. Videtur, quod corpus Christi non resurrexit integrum. Sunt enim de integritate humani corporis caro & sanguis, qua Christus non videtur habuisse: dicitur enim primo ad Cor. decimo quinto:

*Locis sup. art. 2 inducit.*

B Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt Christus autem resurrexit in gloria regni Dei. Videtur ergo, quod non habuerit carnem, & sanguinem.

2. Praeterea. Sanguis est vnus de quatuor humoribus. Si ergo Christus habuit sanguinem, pari ratione habuit alios humores, ex quibus causatur corruptio in corporibus animalium. Sic ergo sequeretur, quod corpus Christi fuerit corruptibile, quod est inconueniens. Non igitur Christus habuit carnem, & sanguinem.

3. Praeterea. Corpus Christi, quod resurrexit, in caelum ascendit. Sed aliquid de sanguine eius in quibusdam Ecclesiis reseruatur pro reliquijs. Non ergo resurrexit corpus Christi cum integritate omnium suarum partium.

Sed contra est, quod Dominus dicit Luca ult. post resurrectionem discipulis loquens, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.

Respondeo dicendum, quod (sicut supra dictum est) corpus Christi in resurrectione fuit eiusdem naturae, sed alterius gloriae. Vnde quidquid ad naturam corporis humani pertinet totum fuit in corpore Christi resurgentis. Manifestum est autem, quod ad naturam corporis humani pertinent carnes & ossa, sanguis & alia huiusmodi. Et ideo omnia ista in corpore Christi resurgentis fuerunt, & etiam integraliter absque omni diminutione, alioquin non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset reintegratum quidquid per mortem ceciderat. Vnde & Dominus fidelibus suis promittit dicens Matth. 10. Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. & Luc. 21. dicitur.

*Art. praeced.*

D Capillus de capite vestro non peribit. Dicere autem quod corpus Christi carnem & ossa non habuerit, & alias huiusmodi partes humano corpori naturales, pertinet ad errorem Eutychie Constantinopolitane urbis Episcopi: qui dicebat, quod corpus nostrum in illa resurrectione gloria erit impalpabile & ventis aereque subtilius: & quod Dominus post confirmata corda discipulorum palparum, omne illud quod in eo palpari potuit, in subtilitatem aliquam rediit. Quod ibidem improbat Gregor. quia corpus Christi post resurrectionem, immutatum non fuit, secundum illud Roman. 6. Christus resurgens ex mortuis iam non moritur. Vnde & illa, quae dixerat, in morte retractauit. Si enim inconueniens est, vt Christus alterius naturae corpus in sua conceptione acciperet, puta celeste, sicut Valentinus asseruit multo magis inconueniens est, quod in resurrectione alterius naturae corpus resumpserit, quia corpus in resurrectione resumpserit ad vitam immortalem, quod in conceptione assumpserat ad vitam mortalem.

*Hom. 26. in Euang. non remote a pri.*

Ad primum ergo dicendum, quod caro & sanguis ibi non accipitur pro natura carnis & sanguinis, sed vel pro culpa carnis & sanguinis: sicut Gregorius dicit in 4. Moralium. Vel pro corruptione carnis & sanguinis. Quia (vt Augustinus dicit ad Consentium de resurrectione carnis) non ibi erit corruptio & mortalitas carnis & sanguinis. Caro igitur secundum substantiam possidet regnum Dei: secundum quod dicitur est. Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Caro autem cum secundum corruptionem intelli-

*li. 14. mora c. 31. n. procul a fin. Aug. 2. dicitur est. 146 c. 2.*

intelligitur, non possidebit. vnde continuo additum est in ver- bis Apostoli. Neque corruptio in corruptelam.

Luc. viii ep. 146 no mul- tum longe a princ. tom. 2.

Ad secundum dicendum, quod sicut Augustinus dicit in eodem libro, fortassis accepta occasione sanguinis virgebit nos molestior persecutor. Et dicit. Si sanguis in corpore Christi resurgens fuit, cur non est pituita, id est, phlegma, cur non est fel flauum, id est, cholera, et l nigrum, id est melancholia, quibus quatuor humoribus naturam carni temperari, etiam medicina disciplina testatur: Sed quodlibet quisquis addat, corruptionem addere caueat, ne sua fidei sanitatem, castitatemque corrumpat. Valet enim diuina potentia de ista visibili atque tractabili natura corporum, quibusdam manibus, auferre quas voluerit qualitates, vt absit labeis scilicet corruptionis, adsit effigies, adsit morio, absit fatigatio, adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas.

Ad tertium dicendum, quod totus sanguis, qui de corpore Christi fluxit, cum ad veritatem humane nature pertinet, in corpore Christi resurrexit: Et eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem et integritatem humane nature pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesiis pro reliquiis conseruatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculose dicitur effluxisse de quadam imagine Christi percussa.

Sancti autem in resurrectione habebunt corpora gloriosa, sicut ibidem dicitur. Seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Vnde cum causa sit potior causato, et exemplar exemplato, multo magis corpus Christi resurgens fuit gloriosum. Secundo, quia per humilitatem passionis meruit gloriam resurrectionis. Vnde et ipse dicebat. Nunc anima mea turbata est: quod pertinet ad passionem: et postea subdit, Pater clarifica nomen tuum, in quo petis gloriam resurrectionis. Tertio, quia sicut supra habitum est, anima Christi a principio sue conceptionis fuit gloriosa per fruitionem diuinitatis perfectam. Est autem dispensatione factum (sicut supra dictum est) vt ab anima gloria non redundaret in corpus, ad hoc quod mysterium nostre redemptionis sua passione impleteret. Et ideo per actum hoc mysterio passionis et mortis Christi, statim anima in corpus in resurrectione resumptum, suam gloriam deriuauit: et ista factum est corpus illud gloriosum.

Ad primum ergo dicendum, quod omne quod recipitur in aliquo recipitur in eo secundum modum recipientis. Quia igitur gloria corporis deriuatur ab anima (vt Augustinus dicit in Epistola ad Dioscorum) fulgor seu claritas corporis gloriosi est secundum colorem humano corpori naturalem: sicut videtur diuersimode coloratum recipit splendentem ex illustratione solis, secundum modum sui coloris. Sicut autem in potestate hominis glorificatus est, vt corpus eius videatur, vel non videatur (sicut dictum est) ita in potestate eius est, quod claritas eius videatur vel non videatur: vnde potest in suo colore sine aliqua claritate videri: et hoc modo Christus suis discipulis post resurrectionem suam apparuit.

COMMENTARIUS.

Hic articulus quoad conclusionem, et probationem D. Tho. non indiget noua expositione, sed videnda sunt, que diximus de resurrectione in communi. De ijs vero, que in solutione argumentorum attingit, de humoribus, et alijs partibus assumptis a Christo in resurrectione, differemus disputatione sequenti. Locus autem ille 1. ad Cor. 15. Caro, et sanguis regnum Dei non possidebunt, quem D. Thomas tractat in sol. ad 1. expositus est in priori tomo disp. 15. Sect. 6.

ARTICVLVS III.

Virum Christi corpus resurrexerit gloriosum.

300. Inf q 15. a 6. ad 4 Et q 40. 5 q 3. a. 1. Et ep. 3. ca. 2. 4. 5.



Ad tertium sic proceditur. Videtur quod corpus Christi non resurrexerit gloriosum. Corpora enim gloriosa sunt fulgentia, secundum illud Matthaei 13. Fulgebunt iusti sicut sol in regno patris eorum, sed corpora fulgida videntur secundum rationem, non autem secundum rationem coloris. Cum ergo corpus Christi visum fuerit sub coloris specie, sicut et prius videbatur, videtur quod non fuerit gloriosum.

Hic 20 in Eu ang paulo post princ.

2. Preterea. Corpus gloriosum est incorruptibile. Sed corpus Christi non videtur fuisse incorruptibile: fuit enim palpabile, sicut et ipse dicit Luc. vltim. Palpate, et videte. Dicit autem Gregorius in quadam Homilia, quod corrumpi necessesse est quod palpatur, et palpari non potest, quod non corrumpitur. Non ergo corpus Christi fuit gloriosum.

3. Preterea. Corpus gloriosum est incorruptibile. Sed spirituale, vt patet prima ad Cor. in 15. Sed corpus Christi videtur fuisse animale post resurrectionem: quia cum discipulis manducauit et bibit, vt legitur Luc. e vltimo, et Ioannis vltimo. Ergo videtur, quod corpus Christi non fuerit gloriosum.

Sed contra est, quod Apostolus dicit ad Phil. 3. Reformabis corpus humilitatis nostre, configuratum corpori claritatis sue.

Respondeo dicendum, quod corpus Christi in resurrectione fuit gloriosum, et hoc apparet triplici ratione. Primo quidem, quia resurrectio Christi fuit exemplor, et causa nostra resurrectionis, vt habetur prima ad Cor. in 15.

Ad secundum dicendum, quod corpus aliquod dicitur esse palpabile, non solum ratione resistantie, sed ratione sue spissitudinis. Ad rationem autem et spissum sequuntur graue et leue, calidum et frigidum, et alia huiusmodi contraria, que sunt propria corruptionis corporum elementarium. Vnde et corpus quod est palpabile humano tactu, est naturaliter corruptibile. Si autem sit aliquid corpus resistens tactui, quod non sit dispositum secundum predictas qualitates, que sunt propria obiecta tactus humani (sicut est corpus celi ste) tale corpus non potest dici palpabile. Corpus autem Christi post resurrectionem vere fuit ex elementis compositum, habens in se tan gibles qualitates secundum quod requirit natura corporis humani, et ideo naturaliter erat palpabile. Et si nihil aliud habuisset supra corporis humani naturam, fuisset etiam corruptibile. Habuit autem aliquid aliud quod ipsum incorruptibile reddidit: non quidem naturam celestis corporis, vt quidam dicunt (de quo infra magis inquiretur) sed gloriam redundantem ab anima beata, quia vt Augustinus dicit in Epistola ad Dioscorum, Tam potenti natura Deus fecit animam, vt ex eius plenissima beatitudine, redundet in corpus plenitudo sanitatis, id est, incorruptionis vigor. Et ideo sicut Greg. dicit ibidem, Ostenditur corpus Christi post resurrectionem fuisse eiusdem nature, sed alterius gloria.

Ad tertium dicendum, quod sicut Aug. dicit 13. de Ciuit. Dei. Saluator noster post resurrectionem, iam quidem in spiritali carne, sed amen vera, cibum et potum cum discipulis sumpsit, non alimentorum indigentia, sed ea qua hoc poterat potestate. Vt enim Beata dicit super Lucam, aliter absorbet aquam et sitiens, aliter solis radius calens: illa indigentia, in se potenti. Manducauit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, sed vt eo modo naturam corporis resurgens astrueret. Et propter hoc non sequitur, quod fuerit eius corpus animale, quod est indigens cibo.